

# OVATIONES

JANET MARION MARTIN

Honoramus feminam praestantissimam ob doctrinam, praesertim ob latitudinem eruditionis eius de litteris Graecis Latinisque, non solum ex aetate florentis rei publicae Romanae principatusque pollentis Romani, sed etiam ex medio aevo, hora novissima, temporibus transformantibus.<sup>1</sup> Nos quoque laudamus labores eius causa aequitatis inter omnes sodales et commilitones in campo studiorum antiquorum, ut feminae fiant participes omnium eorumdem gaudiorum praemiorumque quibus viri fruuntur. Adepta gradus Baccalaureae Artium Philosophiaeque Doctoris apud Universitatem Veritate Praeclaram,<sup>2</sup> Magistrae Artium apud Universitatem Artibus Scientia Veritate splendidam,<sup>3</sup> investigavit orbem rerum humaniorum post saeculum classicum in urbe aeterna, in colle Ianiculo, in loco dulci sive sapias sive desipias.<sup>4</sup>

Universitatem vigentem sub numine Dei<sup>5</sup> docendo serviendo investigando locupletavit; Societati nostrae quam munificissime dona mentis spiritusque contulit. Plaudamus igitur Janet Marion Martin.

*University of Maryland, College Park  
Classical World 104.4 (2011)*

JUDITH P. HALLETT

---

<sup>1</sup> Bernard de Cluny (12th century), *De Contemptu Mundi: hora novissima, tempora pessima sunt—vigilemus!*

<sup>2</sup> *Veritas*, motto of Harvard University.

<sup>3</sup> *Artes, Scientia, Veritas*, motto of the University of Michigan.

<sup>4</sup> Hor. *Carm.* 4.12.28: *dulce est desipere in loco.*

<sup>5</sup> *Dei sub numine viget*, motto of Princeton University.

DAVID J. MURPHY

Celebramus bene praeparatum pectus, sive in infestis sive in secundis rebus,<sup>1</sup> virum indolis eximiae, studiosum discendi docendique, et ruris et urbis amatorem. Dialogos Platonis, Horatii versus clarissime exposuit; eruditissime exploravit artes modosque scribendi antiqui ipsius. Alumnus universitatis quae rogat solem iustitiae et occidentem illustrare,<sup>2</sup> in civitate nuper illustri propter pueros, gradum Doctoris Philosophiae apud universitatem quae facit ut in dei lumine simus visuri lumen<sup>3</sup> in civitate illustri propter statum mentis adeptus est. Urbi numquam dormienti se consecravit: praeciens administransque in academia fovendi veritatem, amicitiam, fidem;<sup>4</sup> ducens confirmansque sodalitatem. Nostram societatem quoque roboravit, maxima cum cura, prudentiaque, iustitia lumineque, amicitia fideque. Plaudamus igitur David J. Murphy.

*University of Maryland, College Park  
Classical World 104.4 (2011)*

JUDITH P. HALLETT

---

<sup>1</sup> Hor. *Carm.* 2.10.13–15: *sperat infestis, metuit secundis/alteram sortem bene praeparatum/pectus.*

<sup>2</sup> *Sol iustitiae et occidentem illustra*, motto of Rutgers University.

<sup>3</sup> *In lumine tuo videbimus lumen*, motto of Columbia University.

<sup>4</sup> *Veritas, amicitia, fides*, motto of the Nightingale-Bamford School.

## DAVID PORTER

Similis Orpheo vati—cui maxime profuerunt Apollo pater Musaque mater<sup>1</sup>—hic vir, natus in urbe “Magno Pomo” nuncupata, pila ludere cum fabulosi “Pueris Aestatis” aspiravit. Sed evenit ut, sicut Orpheus ipse, concineret maiore plectro:<sup>2</sup> scribens de poeta Horatio, auctoribusque tragoediarum Atticarum, scriptoribusque temporum recentiorum in lingua Boudicca nostraque; fovens artes musicas exponendo canendoque. Adeptus est gradum Baccalaurei Artium apud universitatem lucem animadvertentem,<sup>3</sup> gradumque Doctoris Philosophiae apud universitatem Dei sub numine vigentem.<sup>4</sup> Quinque lustra docuit et duxit apud universitatem declaratione sermonum Dei illuminantem;<sup>5</sup> novem annos auxit liberalitatem armigeri praecipiendo.<sup>6</sup> Universitatem munitam scuto amoris divini,<sup>7</sup> quam ornavit duodecim annos ut praeses, nunc iterum ornat erudiendo in tribus regnis scientiae. Rem publicam studiorum classicorum laboribus prudentiaque locupletavit. Plaudamus igitur David Hugh Porter.

*University of Maryland, College Park*  
*Classical World* 104.4 (2011)

JOCELYN COOPER  
 AARON HERSHKOWITZ  
 ASHLEY LEONARD  
 JOSH ROCCHIO  
 XIAOBO TANG  
 LISA WELLS  
 JUDITH P. HALLETT

---

<sup>1</sup> *Ov. Am.* 3.9.21: *quid pater Ismario, quid mater profuit Orpheo?*

<sup>2</sup> *Hor. Carm.* 4.2.33: *concines maiore poeta plectro.*

<sup>3</sup> “Mind the light,” motto of Swarthmore College.

<sup>4</sup> *Dei sub numine viget*, motto of Princeton University.

<sup>5</sup> *Declaratio sermonum tuorum illuminat*, motto of Carleton College.

<sup>6</sup> *E liberalitate E. Williams armigeri*, motto of Williams College.

<sup>7</sup> *Scuto amoris divini*, motto of Skidmore College.